



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Herveo Trecensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

132      *Epistolarum Innocentij III.*

ex multo defectu ipsius, qui in ipso con-  
venerat, multum sub eo Bremensis Ec-  
clesia vult, ita quod eo etiam adhuc vi-  
vente jamdicta Ecclesia iuste posset dici  
viduata, Moveant hæc igitur velstram san-  
ctitatem, & miseris ipsius Bremensis Ec-  
clesie in hoc paternè consulatis ut vos ei  
transmittatis Dominum Waldemarum  
Slevicensem Episcopum, qui à sanctitate  
velstra postulatur. Scire etiam vos vo-  
lumus quod quantum ad nos & ad jus  
spectat imperij, & quantum in nobis erit,  
ad hoc adhibere volumus piam operam  
& efficacem ut ipsa Bremensis Ecclesia in  
pristinum statum secundum dignitatem &  
honorem quem quandoque confuevit ha-  
bere possit reformati.

*HERVEO TRECENSI EPISCOPO.*

Epi. 216.  
Confirmant  
privilegia Ec-  
clesie Tre-  
censis per  
Regem Fran-  
corum.

**S**olet annuere &c. Ex litteris sequi-  
dem fraternitatem tuæ intelleximus  
evidenter quod licet inter te ac carissi-  
mum in Christo filium nostrum Philip-  
pum Francorum Regem illustrem occa-  
sione quorundam archidiaconatum &  
præbendarum, quas quibusdam clericis  
idem Rex Ecclesia tua vacante concesser-  
at, emergerit scrupulus quæstionis, eodem  
Rege firmiter afferente donationes  
præbendarum ad se, ipsa Ecclesia vacan-  
te, spectare, idem tamen Rex postmodum  
jus tuum & libertatem Ecclesie recog-  
noscens, regia benignitate concessit ut  
archidiaconatus, præbenda, ac alia be-  
neficia quæ ibidem vacare contigerit Ec-  
clesia ipsa pastoris officio destituta, do-  
nationi substituendi Pontificis de cetero  
reserventur, statuens nihilominus ut de  
beneficiis quæ nuper sede vacante conce-  
serat, tuam faceres voluntatem, liberè  
profitendo se in ipsis nihil juris penitus ha-  
buisse. Possessiones insuper & quædam alia  
tam tibi quam tuis successoribus idem  
Rex auctoritate regia confirmavit; sicut  
hæc omnia in privilegio præfati Regis plen-  
ius perspicimus contineri, cuius teno-  
rem de verbo ad verbum præsentibus lit-  
teris duximus inserendum, *In nomine*  
*sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Phi-*  
*lippus Dei gratia Francorum Rex. No-*  
*verint universi præsentes pariter & futuri*  
*quod carissimus quandam genitor noster*  
*Ludovicus Matthæo tunc temporis Tre-*  
*censi Episcopo ejusque successoribus quæ*  
*subter annexa sunt in perpetuum conce-*  
*dit & confirmavit, videlicet villam quæ*  
*dicitur sanctus Leo cum appendicis suis,*  
*& quicquid juris idem Episcopus habe-*

bat in villa quæ dicitur Avenz, quicquid  
juris habebat in villa quæ dicitur Lanes,  
quicquid juris habebat in villa quæ dici-  
tur Angularia, & insulam quæ juxta eam  
sita est in flumine Alba, villam quæ di-  
citur Aquicum appendix suis, in ea li-  
bertate quæ ipsi Trecensi Episcopo a Do-  
minis de villa Mauri concessa est, videli-  
acet ut cum Trecensem Ecclesiam suo an-  
tistite vacare contigerit, Dominum villa  
Mauri vel ministri eorum de rebus Epis-  
copi vel suorum hominum jurisdictionis  
ejusdem villa nihil accipient, sed usibus  
& dispositioni ejus qui illic fuerit subro-  
gandus antistes in sua incolumitate omnia  
conseruentur. Quicquid etiam idem Epis-  
copus habebat in villa quæ dicitur Gume-  
rium, & in villa nuncupata Summus fons,  
cum jure & libertate quam in eisdem lo-  
eis habuerunt antecessores sui. Præterea  
libertatem sibi & Ecclesiae suæ à bona  
memoria Comite Hugone concessam,  
scilicet ut qui ab eodem Episcopo servien-  
tes aliquod publicum officium obtinuerint,  
ab omni justitia & exactione Comitum  
Trecensium ac suorum ministerialium,  
quandiu officium ipsum habuerint, liberi-  
sint & immunes. Adjecti etiam bona me-  
moriam supradictus genitor noster ut do-  
mus episcopales & curtes cum omnibus in  
eis contentis in obitu Episcoporum illam  
libertatem obtineant quam Comes Hen-  
ricus ei concessisse & confirmasse dinosci-  
tur. Ad hæc, unum modium frumenti  
quem idem Comes Henricus ei de molen-  
dinis qua sub turre sita sunt pro homini-  
nibus apud curtes insulae habitantibus de-  
dit in vigilia omnium sanctorum annuatim  
persolvendum, & unum sextarium fru-  
menti in novis molendinis juxta Ecclesiam  
sancti Quintini pro censu quem debet  
Paganus de \* Tufo. Furnum quoque in <sup>\* Apud Camb.</sup>  
burgo Episcopi in ea integritate liberta-  
tis quam ei memoratus Comes Henricus  
concessit & scripto suo roboravit. Cen-  
sum etiam solidos quos idem Comes Hen-  
ricus dedit matricularis Ecclesie sancti  
Perri in theloene suo Trecensi singulis  
annis persolvendos. Grangiam quoque  
villae Cestini cum appendicis suis, quæ  
acquisivit & acquirere posset. Præterea  
honorem de Meriaco cum casamentis,  
terræ cultis & incultis, fluviis, aquis,  
aquarumque decursibus, pratibus, pascuis, &  
nemoribus, servis & ancillis, sicut ante-  
cessores ejus ab ipso genitore nostro &  
suis antecessoribus habuerunt. Casamenta  
etiam quæ Domini de Triagnello, castrum \*

videlicet de Venesiaco, cum aliis quæ ab Ecclesia Trecensi habent. Casamenta etiam quæ Guido de<sup>†</sup> Domnipetra & Hugo de<sup>†</sup> Planceo haec tenus ab Ecclesia Trecensi te-  
nuerunt. Casamenta etiam quæ Viceco-  
mes Senonensis & Dominus de Chasce-  
neio apud molendinum Leonis tenebant.  
Casamentum quod Odo de Avelleo ab  
Ecclesia Trecensi tenebat. Nihilominus  
etiam casamentum quod Vicecomes sancti  
Florentini ab Ecclesia Trecensi habet,  
cum aliis omnibus quæ haec tenus Ecclesia  
Trecensis habuisse dinoscitur. Nos igitur  
prædicta omnia sicut in privilegio patris  
nostrorum continentur confirmamus. Præterea  
de donatione præbendarum quæ vacarunt  
in Ecclesia beati Petri Trecensis vacante  
fede illa, quia non inveniebamus aliquem  
qui vidisset quod nos eas dedissimus aut  
quod genitor noster pia recordationis Rex  
Ludovicus ipsas tempore vacantis sedis  
vacantes dedisset, & quia eram ex affir-  
matione plurium audivimus quod præbenda,  
archidiaconatus, & alia beneficia tempore  
illo vacanti futuro reservarentur Episco-  
po Trecensi ad conferendum quibus vellet,  
concedimus dilecto nostro Herveo Tre-  
censi Episcopo ut ea conferat & dona-  
tionem illorum habeat tam ipse quam suc-  
cessores ejus Episcopi Trecenses. Con-  
cedimus autem eidem Episcopo ut de dona-  
tionibus quas super iis fecimus suam faciat  
voluntatem, utpote qui nihil juris in hu-  
jusmodi donationibus habebamus. Ut au-  
tem prædicta omnia perpetuum robur ob-  
tineant, sigilli nostri auctoritate & regij  
nomini charactere inferius annotato præ-  
sentem paginam confirmamus. Actum  
apud sanctum Germanum in Loia anno in-  
carnationis Domini M C C V I I. \* astanti-  
bus in palatio nostro quorum nomina sup-  
polita sunt & signa. Dapifero nullo. S.  
Guidonis Buticularij. S. Matthæi Camera-  
rij. S. Droconis Constabularij. Datum  
vacante cancellaria. ] Nos igitur devotio-  
nem regiam propter hoc in Domino com-  
mandentes, & tam concessionem quam  
constitutionem & confirmationem approba-  
bantes ipsius, easdem auctoritate aposto-  
lica confirmamus & praesentis scripti pa-  
tronino communimus. Nulli ergo &c.  
nostra confirmationis &c. Si quis autem  
&c. Datum Laterani iij. Idus Februarij,  
anno decimo.

## E I D E M.

<sup>Apud Ca-</sup>  
<sup>nuc. regni</sup>  
<sup>anno</sup>  
<sup>iij.</sup>  
I Vitis petentium &c. usque complere.  
Cum igitur carissimus in Christo filius

nostrus Philippus Rex Francorum illustris  
statuerit ut de beneficiis quæ nuper sede  
vacante concesserat tuam faceres volunt-  
atem, liberè profiendo sicut in illis nihil juris  
penitus habuissè, ac tu postmodum ipsa  
personis idoneis assignaris, nos tuis preci-  
bus inclinati, concessionem ipsam, sicut  
canonicæ facta est, auctoritate apostolica  
confirmamus & praesentis &c. Nulli ergo  
&c. nostra confirmationis &c. Si quis au-  
tem &c. Datum Roma apud sanctum Pe-  
trum ii. Kal. Februarij, anno decimo.

## S T E P H A N I B A L V Z I I

## A D M O N I T I O

*De sequentibus epistolis.*

Q uod in superioribus libris factum est, in illo quo-  
ni que fieri necesse fuit, quia nonnullæ epistolas an-  
ni octimi reperimus quæ in regesto non habebantur.  
Quoniam igitur omnino sunt epistolas istius appendicis,  
quacunq; duas priores accepimus ex historia Marchæ Pati-  
fici, tertiam ex charterulo monasterij Folstantis, quar-  
tam ex tomo duodecimo Speculæij Dacherlani, postte-  
ram ex historia Placentina Petri Martini Campi. Addi-  
dimus praeterea epistolam ejusdem Innocentij III. qua  
præbendam Ecclesie Carnotensis confirmat Hospitali  
ianæ Mariae in Saxia; quæ licet data sit anno quatto  
pontificatus ejus, hec tamen referunt, quia alibi oppor-  
tunitus locus non fuit. In epistola enim c. lxxxix huius  
libri decimi agitur de hospitali sancti spiritus in  
Saxia. Hanc porro epistolam nobis exhibuit vetus char-  
tularium insignis Ecclesia Carnotensis.

## I O H A N N I R E G I

*Anglorum.*

I Nter opes terrenas quas mortalis ocu-  
lus concupiscit & quasi cariora deside-  
rat, aurum obryzum & lapides pretiosos  
principatum credimus obtinere. Licet au-  
tem his & aliis divitiis vestra regalis abun-  
det excellentia, in signum tamen dilectionis  
& gratiae quatuor anulos aureos cum  
diversis lapidibus pretiosis tue magnitudi-  
ni destinamus; in quibus te volumus spe-  
cialiter intelligere formam, numerum,  
materiali, & colorem, ut mysterium po-  
tius quam donum attendas. Rotunditas  
enim æternitatem significat, que initio ca-  
ret & fine. Habet ergo regalis discrecio  
quod in forma requirat, ut de terrenis  
transeat ad celestia, de temporalibus ad  
æterna procedat. Quaternarius autem, qui  
numerus est quadratus, constantiam men-  
tis significat; quæ nec deprimi debet in  
adversis, nec in prosperis elevari. Quod  
tunc laudabiliter adimplebis cum quatuor  
virtutibus principalibus fuerit ordinata,  
videlicet justitia, fortitudine, prudentia,  
R. iii

*Epiſ. 219.*  
Ei mittit invi-  
tacionem.